



DOMINICA XXVI «PER ANNUM»

BENEDICTIO IN FINE MISSÆ

Benedictio sequens adhiberi potest ad libitum sacerdotis.

Ipse sacerdos dicit invitationem:

Fratres ac soróres, Iesus promísit se in médio discipulórum suórum in eius nómine congregatórum adfutúrum. Ventúris diébus, Romæ, Summus Póntifex Francíscus sessiónem primam apériet décimi sexti Cœtus Generális Ordinárii Sýnodi Episcopórum. Benedictiónem Dómini invocátes, mentes nostras ad Deum levámus ut, Spíritu Sancto favénte, in communióne nos corróboret, in omnem veritátem dedúcat atque Partícipes Cœtus Synodális indesinéter illúminet.

Deinde fit dimissio. Sacerdos, versus ad populum, extendens manus, dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Diaconus, vel, eo deficiente, ipse sacerdos, dicit invitationem: Inclináte vos ad benedictiónem. Deinde sacerdos, manibus super populum extensis, dicit benedictionem, omnibus respondentibus: Amen.

Deus et Pater noster,
qui multifáream et multis modis locútus est pátribus in prophétis,
vos et Ecclésiám cunctam in fidelitáte verbi sui et in iudício suæ voluntátis dírigat.

R. Amen.

Unigénitus, in plenitúdine témporis missus,
ut ómnibus divítias misericórdiæ Patris manifestáret,
in communióne cum Ipso et frátribus vos custódiat.

R. Amen.

Spíritus Sanctus vos omnes, et præcípuè Synodálem Cœtum,
ad signa témporum cognoscénda perdúcat
ut, voluntáti Dei in ómnibus adhærétes,
úberes fructus unitátis afferátis
vitam Ecclésiæ promovéndo et Evangélium testificándo.

R. Amen.

Et benedictio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

R. Amen.